


remaneat 5 : sol ergo illo die est in quinto gradu Cancrī : denique ad 22. Iunij, si addantur 8, fiunt 30 : sol igitur illo die moratur in fine geminor. & in principio cancri.

PROPOS. II.

*Altitudinem Solis aliarumq; stellarum quouis tempore deprahendere.*

Quantum Sol & stella quæuis supra Horizontem quouis tempore eleuetur, per circulos verticales seu Azimuth, transeuntes per centrum stellæ tempore obseruationis, & horizontes obliquos, ipsos secantes deprahendimus : nihil aliud est enim altitudo stellæ, quam distantia solis aut stellæ ab horizonte, quam distantiam spatium inter horizontem & verticalem interceptum demonstrat. Vt igitur cognoscas talem altitudinē, sic procede: suspenso Astrolabio per armillam seu anulum suum, ita ut liberè pendeat, mediclinium seu dioptram in dorso Astrolabij versus stellam dirige & tam diu sursum deorsumque volue donec per utrumq; foramen pinnularum, oculus admotus stellam deprahendat, quo facto sub linea fiducia

gradum Eleuationis nota (sunt autem gradus Eleuationum in extremo margine dorsi scripti, incipientes utrinq; à linea horizontali, ut superius explicatum fuit) ille enim erit altitudo solis aut stellæ tunc temporis quæsita. Quod ut à Tyronibus facilius intelligatur, sequens notetur figura. In qua locus solis v. g. est in F, aut in I: circulus verticalis per ipsius centrum



B transiens,